



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 503. An fidejussor mutuatarii possit percipere mercedem ratione præstitæ fidejussionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

nec pecuniam suam teneat otiosam, sumit tantisper æquivalentem ad interesse, possit illud interesse postea repetere à debitore. Ad quod videtur respondendum negativè; cum hic spectetur potius lucrum captandum quam damnum vitandum. Vide C. de Luca loc. cit. num. 6.

Quæst. 503. An fidejussor mutuatarii possit percipere mercedem ratione præstitæ fidejussionis?

Resp. Tamesti usurarium sit, mutuatarium mutuanti ultra sortem seu mutuo acceptam pecuniam promittere, vel dare aliquid ad facilitandum illum ad mutuo dandum, ut habet communis; ut etiam idem videtur sentire C. de Luca de usur. d. 4. n. 6. & 7. de pacto, dum mutuatarius pacificitur cum mutuante de hujus lucro aliquo non quidem tanquam pretio ipsius mutui, sed tanquam præmio seu mercede recompenlativa iltius oneris & obligationis, quam subit mutuans promittens mutuum, aut etiam damni, quod ex illa obligatione resultare possit; non tamen esse usurarium, sed licitum mutuatarium, ut fidejussorem accipiat, sibi que pecunia, aliis non credenda, credatur ob fidejussoris fidem & idoneitatem promittere & dare præmium & mercedem aliquam, modò ea ad limites Justitiæ commutativæ oneri illi, quod suscipit fidejussor, proportionata, esse sententiam magis communem & receptam, altruit & pluribus exemplis probat Idem Cardinal. l. c. à n. 8. citatque pro ea Mantic. de tacit. & ambig. l. 6. tit. 6. num. 6. Surdum conf. 306. Leotarium de usur. q. 23. n. 31. Duaren. de censib. §. 3. q. 13. n. 20. & seq. Rotam apud Gregor. decis. 76. 161. 679. p. 1. divers.

Quæst. 504. An fidejussor minoris gaudeat beneficio restitutionis in integrum, aut etiam cessionis omnium bonorum?

Resp. ad primum: Beneficium restitutionis in integrum, quod competit minoribus minus prudenter & circumspèctè contrahentibus, non competit fidejussoribus illorum; eò quod sit beneficium personale concessum illis ob ætatis & judicii imbecillitatem. Castrop. tr. 32. d. 1. p. 19. §. 1. n. 10. juxta l. 2. C. de fidejuss. minor. & l. in causa. ff. de minor. Sed neque in hoc casu dari fidejussori recursum contra minorem, pro quo fidejussit; unde si actionem mandati ei intentaret, restitui adversus eam minorem; Arg. l. in causa. a. struit Castrop. citato pro hoc Gomes. Tom. 2. de contract. c. 14. n. 9. plures alios referente. Exceptionem tamen, quæ minoribus competit, non ex persona, sed ex causa; puta, re judicata, ex non numerata pecunia, ex præscriptione, ex novatione, juramento, dolo, metu &c. competere fidejussori, etiam invito minore. Arg. l. exceptiones qua. ff. de except. l. in omnibus. ff. de Reg. jur. tradit Idem l. c. cum Gomes.

2. Resp. ad secundum: Sed neque beneficium cessionis omnium bonorum factæ creditori competens debitori ære alieno gravato, ita ut non sit solvendo, non competit fidejussori illius (intellige, ita ut is hac cessione debitoris liberetur à sua obligatione fidejussoria) sed pergit eò obligari, ac si debitor bonis suis non cessisset; cum fidejussores constituantur, ut, si forè principalis debitor non sit solvendo, ipsi solvant de suo Castrop. tr. 32. d. 1. p. 17. §. 7. n. 1. cum Lopez & Gomes. un-

de in dicto casu adhuc conveniri poterunt fidejussores ad solvendum reliquum, ubi bona cessata non sunt sufficientia.

Quæst. 505. Beneficium excussionis quid sit, in quibus bonis, contra quos & qualiter competat fidejussori?

Resp. ad primum: Beneficium excussionis seu ordinis (circa quod examinari solita pleraque jam dicta sunt ad quæst. qualiter fidejussor non prius conveniri debeat, priusquam principalis debitor conventus & excussus) describi potest, quòd sit privilegium in favorem reorum minus principaliter obligatorum (id est, fidejussorum) concessum, ne principali debitor prius non convento pro solutione excussisque ejus bonis in ordinean sit solvendo, nec ne ipsi cum effectu conveniantur.

2. Resp. ad secundum: In excussionem veniunt omnia debitoris principalis bona ad sacculum & peram usque, ut dicitur. i. Jason. in §. fin. Inst. de act. n. 6. Gomez. in §. item servi. Inst. eod. Caroc. de excuss. bonor. q. 1. n. 1. Faber de error. pragmat. p. 1. decad. 5. error. 8. Sichard. ad l. 24. C. de pignor. Lauterb. h. t. §. 37. Muller. ad Sirn. in ff. h. t. ib. 43. lit. v. ubi ex Hering. de fidejuss. p. 1. c. 27. n. 7. Quòd hæc excussio adhuc hodieum obtineat in bonis omnibus usque ad indumentum non relicta nisi unica veste, quæ corpus legatur; nisi tamen debitor gaudeat privilegio competentie, ut Lauterb. cit. §. 37. hæredem verò debitoris jure novo non teneri ultra vires hæreditatis inventario desuper confecto, ait Idem. Ceterum cessat hæc excussio, si principalis sit in alieno territorio, vel absens. Scharad. miscell. c. 5. n. 2. Muller. l. c. lit. d. item si bona illius sint extra territorium in locis remotis sita. Carpz. p. 2. c. 18. d. 14. quod tamen distinguit Lauterb. citatis l. 50. ff. de judic. l. 7. ff. qui s. misd. cog. Berlich. p. 2. concl. 24. n. 20. ita ut procedat, si bona sint extra territorium sub diversis Principibus, secus, si sub eodem.

3. Resp. ad tertium: Mortuo debitor, excussio fieri debet contra ejus hæredes vel hæreditatem jacentem. Authen. hoc si debitor. Alex. conf. 100. & 137. Paris conf. 50. Gail. l. 2. obs. 27. n. 12.

4. Resp. ad quartum: Excussio fieri debet legitimo modo, ad quem spectat & requiritur sententia Judicis declaratoria, nempe quòd sit facta legitimo modo, & si legitimo modo facta non est, iterato fieri debet. Gail. l. c. n. 10. citatis Bart. in l. stipulatio. §. habet. ff. de nov. oper. nunc. n. 4. Roman. Paris. &c. Huc etiam spectat, ut citentur tertii possessores bonorum nuncupatim ad videntum fieri excussionem; cum agatur de eorum præjudicio. Zac. in l. de unoquoque. ff. de re judic. n. 2. Bart. in l. decem. ff. de V. O. Signorol. conf. 57. per rot. & alii apud Gail. l. c. n. 11. qui tamen dicit, hoc ubique non servari, & se non meminisse unquam in Camera aut alibi factum; cum esset res immensi laboris, multi temporis & magnorum sumptuum.

Quæst. 506. Beneficium divisionis quid sit, quibus competat, quis ejus effectus, & qualiter cesset?

Resp. ad primum: Describi potest in genere, quòd sit privilegium certis fidejussoribus in solidum obligatis concessum, ne ab uno eorum solo in solidum, sed à singulis, si præsentibus, & solvendo